



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Imperatores Romani A Constantino Magno vsque ad Phocam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Concilium Neocesariense celebratum fuit in
prouincia Ponti Polemoniacy, sub Melchiade,
Episcopo Romano, parum ante Nicænum.

IMPERATORES ROMANI A CON-
stantino Magno vsque ad
Phocam.

Tertia ætas Ecclesiæ à Constantino M. ad
Heraclium, vel Phocam, fortiter propugna-
uit veritatem de persona Christi, & de Spir. S.
contra hæreticos: & Synodos liberas sub Impe-
ratoribus Christianis habuit: Doctrinam v. de
officio Christi, & eius gratia, & quod cum Dei
gratia necessario cohæret, de prædestinatione,
omnium purissime illis temporibus tradidit Au-
gustinus; licet ignorantia Hebraici & Græci ser-
monis ei, & multis aliis sæpe imposuerit, sed &
tunc multæ superstitiones inuehi, multa loca
scripturæ per allegorias in alienum sensum de-
torqueri cœperunt. In primis vero à Greg. I. vt vt
sua alias dona habuerit, quorum vix aliquod si-
mulacrum in hodiernis Pontificibus deprehen-
dimus, idololatriæ cultus stabiliti, & fundamē-
ta labefacta sunt; doctrina scilicet fidei, doctrina
de sacramento Eucharistiæ; inductæ autē mona-
sticæ multæ superstitiones, stabilitum item do-
gma de Purgatorio, & de Sanctorū inuocatione.

Constantinus M. fidem Christianam semel
amplexus, religiosissime deinceps & sanctissime
perpetuo coluit; eandemq; fidem, vt oēs in vni-
uerso Romani regni orbe profiterentur, per edi-
cta mandauit: idolorū cultum post Maxentium
deuictum abnegauit: baptismum v. in senectam
vsque

vsque distulit; & Ecclesiæ tot persecutionum fluctibus quassatæ, benignitate Dei, tranquillum restituit portum.

Decedens Constantinus Magnus post felicissimam gubernationem, anno Christi 337. filios tres hæredes reliquit.

Constantinus Junior inter fratres natu maximus, fuit in religione Christiana sincerior. Itaque Athanasium ab exilio reuocauit, eumque Alexandrinæ Ecclesiæ per literas commendauit. Cum vero temerario bello cum fratre congressus esset, apud Aquileiam occisus est, anno Domini 343.

Constantius pios Doctores defendit: interfecit Magnentii insidiis, anno 354. Et hoc modo Imperii summa ad Constantium solum relapsa est: sub quo puritas religionis Christianæ variis hæresibus contaminari cœpit, & nouem formulæ fidei inter se dissimiles receptæ.

Nazianzenus scribit, eum ante vitæ exitum deplorasse cum alia, tum in primis fidei Nicænæ immutationem. *quid sibi hic uult?*

Constantium sequutus est Claudius Iulianus, princeps doctus & eloquens; qui postea Christianæ religionis desertor atque oppugnator factus, cognomen Apostatæ adeptus est, & multa impia in Christum dixit scripsitque; tandem aggressus Persas, cum extrema quæque Christianis à reditu esset minitatus, calamitoso exitu interiit, anno Domini 363. transfixus telo; quod dum ex imis iecoris fibris euellit, hausto manu cruore, & in aerem proiecto, exclamauit; *Vicisti tandem*

tandem Galilae. Quibus impiis vocibus emissis, periit, & Christianos omnes magno metu liberavit. Ammianus Marcellinus scribit, eum suscepisse templi Hierosolymitani instaurationem sumptibus immodicis; sed impeditum esse opus ædificationis flammarum globis horrendis, qui è fundamentis crebris assultibus eruperint, operantesq; exusserint, ac inaccessum locum illum plane reddiderint.

Iouianus, seu Iouinianus ad Imperium vocatus à militib⁹, Christianum se esse clamavit, nec velle imperare militibus idola colentibus. Cui respondit exercitus, se quoq; Christum colere. Mox igitur Imperator factus est, & Christianos exules omnes reuocavit, ac in sedes, vnde eiecti erant, reposuit.

Valentinianus fuit Christianis maxime, & propter Christi professionem à Iuliano relegatus fuit, cum ædituum, à quo aqua lustrali aspersus erat, in templo Fortunæ, pugna cæcidisset.

Valens initio orthodoxam doctrinam professus est, sed postea deductus ab uxore, hæresin Arii amplexus est, proque ea tanta constantia propugnauit, vt omnes ei aduersantes partim exilio, partim morte vindicare conatus sit. A fratre Valentiniano admonitus, vt desisteret, non solum de acerbitate sua nihil remisit, sed asperior identidem factus ingenti rabie, sæuiit aduersus Orthodoxos, in Oriente: multosque igne, gladio, & aqua è medio sustulit. Gothis quoque

quoque Doctores Christianos petentibus miser Arianos, à quibus eadem hæresi infecti sunt. Iccirco pœnas tandem iustas Deo soluit, & à Gothicis, quos infuso animæ veneno deprauarat, in prælio victus, in quodam tugurio, ad quod confugerat, igne iniecto absumptus est.

Gratianus, Princeps vere Christianus, hæreticos ex agris & finibus Ecclesiæ exterminauit, & Orthodoxam religionem vnice fouit ac propagauit.

Valentinianus II. Imperator Occidentis, se-
ctatus est paternam pietatem, cum consorte Imperii Gratiano Ecclesiam tutatus est, exules reuocauit, & Eunomianos, Photinianos, ac Manichæos expulit.

a
u Theodosius Magnus, portus tranquillus & tutus Ecclesiæ, magis gauisus est, se membrum Ecclesiæ esse, quam quod in terris regnaret. Morbo arreptus, baptismum ab Acholio Episcopo Thessalonicæ Orthodoxo accepit. E morbo autem recreatus, edicto sanxit, ne quis Catholicus haberetur, nisi secundum Apostolorum dogmata crederet, vnum esse DEVM, tres vero distinctas diuinitatis personas, eiusdem essentia, maiestatis, & potentia. Hoc velut fulmine territi Ariani, cesserunt Constantinopoli. Contra vero Orthodoxi, qui Homoufiani dicebantur, templa & oratoria læti recuperarunt. Vnde lux veritatis cœlestis ingenstoto Christianorum orbe effulsit. Nam & symboli Nicæni decreta confirmauit, & *πνευματικῆς* profi-

profligauit. Filios Imperii consortes fecit; ac alteri quidem Arcadio Orientis, alteri vero Honorio Occidentis Imperium tradidit. Ipse pacatis iam omnibus, nimium ira atque incitatione inflammatus, cum audisset Thessalonicæ in tumultu & seditione quosdam interfectos esse, non inquiri in auctores, sed promiscue fontes pariter & infantes trucidari iussit. Atque ita ad septem millia hominum mandato ipsius interierunt. Quod temerarium factum arguens Episcopus Ambrosius, à communione eum repulit. Ac obsequutus Imperator Ecclesiasticæ potestati, castigationem æquissimo animo tulit, nec nisi post octo menses absolutionem impetrauit, & in Ecclesiam receptus est. Diem suum obiit Mediolani, anno Christi 395. sepultus Constantinopoli. Post diem quadragesimum Diuus Ambrosius in templo, præsentem Honorio, Orationem, Theodosii laudes continentem, recitauit, quæ Tomo III. operum eius extat, & lectu est dignissima. Fuit autem mors Theodosii vere fatalis ad ruinam & interitum Imperii Occidentalis, vt secum abstulisse pacem Ecclesiæ & Reipubl. pene omnem videatur.

Arcadius, Orientis Imperator, constanter retinuit symbolum Nicænum. Reprehenditur tamen, quod nimiam potentiam indulserit Eudoxiæ vxori, quæ inimica fuit Iohanni Chryostomo, taxanti eius factum.

Honorius, Arcadii frater, post patrem Theodosium Occidentem tenuit, ann. 31. Eius tempore

Ecclesia Dei, maximam ex omni parte iacturam, labemque contraxit. Nam Gothi ac Vandali Occidentis Imperium inuaserunt, & Ecclesiam ipsam crudelissime afflictarunt. Grauiissima est de hac strage querela Hieronymi ad Geron-
tiam, quæ ad misericordiam allicere omnes Christianos iure debet.

Theodosius II. Arcadii filius, tenuit Impe-
rium Orientis à morte patris annos 42. Prin-
ceps fuit eruditus, firmus in doctrina symbolo-
rum, & recte inuocans Deum. In Ecclesiis con-
cordiam constituit. Conuocauit piam Syno-
dum Ephesinam, in qua Nestorii impietas dam-
nata est. Mos ei fuit, mane preces dicere,
& Psalmos canere cum coniuge Eudocia, & so-
roribus. Scripsit sua manu libros Novi Testa-
menti, quorum aliquam partem quotidie legit.
Ecclesiæ doctores amauit, fouit, & eorum con-
suetudine delectatus est. Bibliothecam Byzan-
tii vndique veteribus libris Ecclesiasticis &
Ethnicis coemptis valde auxit.

Valentinianus III. vltimus fuit Imperator Occidentis, vsque ad Carolum Magnum, et si interea multi seditiosi nominari Imperatores voluerunt, qui tamen vix exiguam partem Italiae habuerunt. Relicto igitur Occidentis Imperio, Orientis Imperatores tantum breuiter recensebo.

Sublato Valentiniano III. in Oriente successit Martianus, qui vt Ecclesiæ discordias sedaret, cum Persis & Vandalis pacem fecit. Syno-
dum Chalcedonensem, Oecumenicam quar-
tam,

tam, indixit, in qua anathemate percussus est Eutyches. Interfuit ipse disputationi, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur.

Leo Magnus Imperator in Oriente electus est, anno Christi 457. Princeps fuit alienus à falsis dogmatibus. Ideoque sub eo Ecclesiæ minus turbatae sunt, nec Episcopi recte sentientes ex suis sedibus expulsi.

Leo iunior, Nepos Leonis Magni, patri Zenoni coronam ultro tradidit. Hic Zeno Basiliscum tyrannum Eutyichianum, qui multas in Ecclesia turbas dederat, in exilium relegavit, & Episcopos sinceros Ecclesiæ restituit.

Leoni ac Zenoni successit Anastasius Dico-
rus, seu Silentarius, qui palam defendit Euty-
chianos, & Episcopos ipsis aduersantes expulit:
ex suis Ecclesiis. Conuocauit impiam Synodum
Sidoniam contra Heliam, Episcopum Arme-
niæ, & alios recte sentientes. Cum imperasset
annis 27. fulmine ictus interiit, Anno Christi
521.

Anastasium secutus est Iustinus Thrax, qui
mox initio Imperii Chalcedonensem Synodum
se amplecti ostendit, & constanter in ea senten-
tia permansit. Episcopos, qui errores contra re-
ceptas Synodos defendebant, remotos ab offi-
ciis expulit in exilia. Seuero, Antiocheno Epi-
scopo, linguam præcidi iussit, vt blasphemia-
rum penas daret. Hæc seueritas Ecclesiis Orien-
tis profuit. Cum Pontifice quoq; Romano Hor-

e misda consensum pium atque Orthodoxum pa-
ctus est.

Justinianus, natus ex sorore Iustini, Ecclesias summa pietate & cura constituit. Tum legem tulit, vt nemo nisi Orthodoxus Rempubl. gereret. Labe Ariana infectos bonis priuauit, & suppliciis vindicauit. Hac seueritate tatum effecit, vt exteri etiam multi, abiecta idolomania ethnica, vltro fidem Christianam amplexi sint. Synodum etiam Constantinopoli indixit, quæ dicitur vniuersalis quinta, in qua confirmata sunt decreta præcedentium Conciliorum vniuersalium quatuor, & damnatus error Samosatani, Arii, Nestorii, Eutythis, & alia cum Orthodoxa fide pugnantia. Nec tamen pie & constanter satis in hoc genere versatus est. Nam supremo pene vitæ tempore in errorem horrendum prolapsus est, à quo vt desisteret, admonitus est ab Eutychio, Constantinopolitano Patriarcha; sed parere noluit, ac patriarcham locomouit.

Iustinus Iunior, Iustiniani Nepos ex filia, eiectos Episcopos Constantinopolim accersuit, eisque mandauit, vt in suum quisque Episcopatum reuenteretur, in religione vero noui nihil moliretur. Duæ res valde dignæ memoria in huius Iustini gubernationem incidunt: Initia Exarchatus, & Regni Longobardici in Italia.

Tiberius Anicius Constantinus, à Iustino ipso Cæsar designatus, mansit constans in professione piarum Synodorum, nec permisit turbari Ecclesiam.

Mauri-

Mauritius Cappadox, gener Tiberii, successit Socero. Anno Christi 584. sub quo Turcarum nomen primum fuit auditum; & Ecclesiae in Italia, Gallia, & alibi, à persecutoribus misere conuassatae sunt. Interfectus est per insidias cum vxore & liberis in conspectu Phocæ tyranni. Anno Domini 604.

P A P Æ R O M A N I, A S Y L -
uestro Primo, ad Bonifacium.
Tertium.

Syluester I. natione Romanus, Miltiade mortuo, populi suffragiis inuitus ac repugnans, Episcopus Romanus designatus est, anno Christi 316. Factus Episcopus, docendi munere fideliter functus est, & vitiosa in ordine Ecclesiastico multa emendauit. Decessit absque martyrio. Tribuuntur illi multæ & superstiosæ constitutiones, quæ ex libro Conciliorum, Platina, & aliis, minori negotio peti, quam huc describi possunt.

Marcus Episcopatu Romano defunctus est, A. 2. M. 8. D. 20. si Platinæ credimus.

Post Marcum Episcopus constitutus est Iulius I. sub quo Synodus Nicæna fuit frequentata. Acerrimus fuit defensor Athanasii, & Nicænorum dogmatum. Mortuus est in extrema senectate, anno Domini 351. iuxta Balæum.

Iulii successor Liberius Primus, Nicænae fidei professor fuit constantissimus, & propugnator acerrimus. Balæus tamen, & alii tradunt, eum